Ioſue 7. 21.

18 Deliquit Achan in diruptione Civitatis Iericho. *Vidi* (ait) *inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra.* Sciebat ſe moriturum, & ſubripuit pallium purpureum, inſigne regum. *Modò regnem, interficiar*: Dicebat quidam in Sicilia, teſte Plutarcho in *Apophthegm.* Hæc eſt conditio ſuperbiæ humanæ: gloriam præponit vitæ, & in cacumen conatur aſcendere, licèt agnoſcat præcipitem iri. Solem Ioſue fecit ſtare, ne procederet; & huiuſmodi ambitum haud potuit coërcere, ut ſaltem ſiſteret.

Plutarc.

Ambitus humanæ conditionis individuus comes.

Peccavit Achan: furàta in terra abſcondit, & non abſcondit in terra: igitur coram oculis enunciatum ſacrilegium, quod cogitabat cum ſubreptis ſepultum. Haud ſepelivit crimen; ubi recondit infelicem ſupellectilem: unde cùm illud vagaretur per aëra, illicò deſignavit quæ erant ſepulta. Per regulam indicatur lex: peſſumdedit furto legem, & patuit omnibus crimen: parum eſt ut ſigilletur ſub ſilentio vocis; ubi loquitur clamans ſepulta regula legis. Clamat? Utique.

Sceleris ſilentium dicax.

Regulam auream ſubreptam confitetur criminis reus. *Linguam auream*, legunt Hebr. & Græc. Quale igitur vinculum inter linguam, & regulam? Regula legis ſubripitur, dum peccatur. Peccavit Achan gravi noxà; & pro regula legis, legitur lingua: ſiquidem quantum libèt occultum, quodlibet crimen, linguâ habet, ut decantetur per orbem. Linguâ quiſque ſcelere cōſtruit, ubi illud aſtruit: idem eſt amplecti crimen, ac ipſum crimen adhibere teſtem. Haud valuit abſcondere, quod abſcondere valuit: & linguam dicitur ſibi ſumpſiſſe, ubi decrevit ſublata meditanter abſcondere; quippequàm ſigillatiorum iniquitatum pravitas in loquaces convertitur repentè linguas. Aſtulit, & abſcondit Achanus pallium purpureum, ſed nequivit dilectum nanciſci pallium: nam ſecum linguam portabat, quæ ſignabat quæque abſtulerat. Unde dum minuere ſilenter intendit, calore ſilentij in augmentum ſcelera peccator fovet.

Hebr. & Græc.

Ineſt peccato lingua.

Linguam emit, qui flagitium diligit.

19 De iniquis Iſraëlitis queritur Dominus multa, quin ipſi malè affecti conciperent uti mala, & ait: *Araſtis* (Sanctius hìc numer. 83. *Seminaſtis*) *impietatem, iniquitatem meſſuiſtis.* Ubi Alap. *Scelera ſceleribus cumulaſtis.* Terra præparatur aratro, ut ſuſcipiat culta ſemen: qua igitur arte homines ita ſeminant iniquitatem? Optimum in agricultura ſimile, ut pateat quid contingit in confeſsione. Granum frumenti cadens in terram, niſi mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Si non ſub terra conditur, ſolum granum relinquitur: aratur terra, ut ſub illa ſepeliatur; quippe ita conditum multiplicat fructum: & aptè ſeminationi crimina confert; quoniam ſcelus abditum in ſumma creſcit.

Oſe. 10. 13.

Senec.

Alap.

Peccatum non confeſſum ſeminatur.

Perpende. *Araſtis empietatem.* Septuag. *Reticuiſtis.* Liquet exemplum. Ita fructificant ſub ſilentio ſcelera, ſicut ſub tellure condita grana, ſiquidem ut apponantur ſuper iniquitatem, iniquitates in terra cordium altè mittunt radices. Silentium criminis aratrum eſt: igitur idem reticere, ac ſeminare: & cùm ſcelera ſint in corde fœcunda, erumpunt quaſi grana ſepulta in multiplicia peccata. Quanta in uno facinore ſunt crimina! *Araſtis iniquitatem. Scelera ſceleribus cumulaſtis.* Iam cumulus iniquitatum, dum ſignabatur unum? Utique. Peccatum reticuerunt. Haud revelata ſunt crimina in confeſſione, ſed ſepulta ſicut ſemen ſub tellure: & creverunt in plura, quia cum ſilentio computruerunt in anima. Latent crimina per cōfeſſionem criminis. Quis non refugit per pudorem confeſsionis, confuſionem pudoris? Ardua via confeſsione videtur: ac ſuavior eſt modica amaritudo in faucibus, quam æternus cruciatus in viſceribus. Labor ne eſt? Quid ergo laboris habet cùm peccatum ipſum (Uti aliò ſuccinit Virgilius, *lib.* 4. *Æneid.* verſ. 181.)

Sept.

Imò pullulat.

Virgil.

Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt
corpore plumæ
Tot vigiles oculi, ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſurrigit
aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.

Peccatum ipſum diſpaleſcit.

TAU-

TAUTOLOGIA SEXTA,

SUB VIRI POTESTATE ERIS, ET IPSE dominabitur tui.

Geneſ. 3. verſ. 16.

EXPOSITIO LITERÆ.

1 ETHNICI Primam fœminam vocavere Pandoram; ideſt, omnibus dotibus, & Veneribus apprimè cultam, & inſertatam: de qua Heſiödus in *Theogon.* *Pandora* (inquit) *à Vulcano iuſſu Iovis fabricata, quam ſinguli Dij donis ſuis ornarunt. Pallas enim ſapientiæ donum ei contulit, Venus formæ. Apollo muſices, Mercurius eloquentiæ.* Inde dicta fuit *Pandora*, quaſi omnium donum, vel omnium inſtrumentorum genere donata. Idem de Dieb. & operib. à v. 70.

Primà fœmina ab Ethnicis dicta Pandora

Heſiod.

Cui formæ Paphiæ charites tribuere decorem
Quam Pallas cunctis artibus erudijt.

His donis ultrò dignata (ſed incluſis felicitatibus in aurea pyxide, ut quaſi ſub clave haberet) nupſit Epimetheo: at fracta lege ſtimulo curioſitatis, infelix feliciſsima malis ſuccubuit: igitur bona data fugitiva evanuerunt, vel in cœleſtia hinc avolarunt.

Gaudiat non remanent, ſed fugitiva volant.

Martial.

Cecinit Valer. Martial. lib. 1. *Epigramm.* 16. & Ovid. lib. 1. *Metamorph. Fabul.* 4.

Victa iacet pietas, & Virgo cæde madentes
Ultima cœleſtium terras Aſtræa reliquit.
Protinùs irrupit venæ peioris in ævum
Omne nefas: fugère pudor, verumque, fideſque,
In quorum ſubiere locum fraudeſque, dolique,
Inſidiæque, & vis, & amor ſceleratus habendi.

Ovid.

2 Haud Ægyptios latuit eiuſmodi hiſtoria, quam videris apud Mercurium Triſmegiſtrum in *Pimandro*: imò fuit involucris ſymbolorum expreſſa. *Pandora mulier pyxidem in manu habens apertam* (dicitur in *Addit.* ad *Hieroglyph. Pierij Valer.* lib. 1. cap. 45.) *adverſam fortunam, generis obſcuritatem, infelicitatem, paupertatem, ægritudinem, ſpei fruſtrationem, humanæ ſortis miſeriam nobis adumbrat. Nam cùm hæc virtutes omnes in pyxide incluſas teneret; eam, ut quid intùs eſſet, videret, aperiens; omnes elavi paſſa eſt, malis retentis, & ſpe ſolà, quæ vaſculi labro adhæſit.* Vide Nicolaum Cauſinum *Parabol. Hiſtor.* lib. 2. ſymbol. 3. & Origenem *Contra Celſum lib.* 4. Hinc illa miſerijs obnoxia fuit de qua iurè dici quibat:

Pier. Valer.

Cauſin.

Origen.

——Clauſum poſsidet arca Iovem.
———Tegmen ab urna.
Dum Pandora levat, totum exiliere per orbem.
Curarum infeſtæ effigies.

Petron.

Heſiod.

Inſit Heſiödus ubi ſuprà, & Horatius lib. 1. *Carm.* Od. 3. v. 30. Quare ex feliciore fœmina, undecunquè primà tùm venuſtate, cùm gratiâ, monſtrum horridum evaſit, cùm ſeſe intueretur in ſpeculo conſcientiæ; & ſocia facta eſt Proſerpinæ Inferorum dominæ. Ita pingit Orpheus:

Pandora monſtrum.

Cùm ſubitò inferna per flammam ſede feruntur,
Crudelis nec viſa lues, facinuſque ſtupendum,
Corpora ſunt illi de duro immitia ferro,
Pandorenque vocant.

Orph.

3 Subeſt manui cauſa, & enicat cominùs Mythologia. Ex Ægypto opes tollimus, ſiquidem Ethnicorum literas ad noſtræ fidei decus, & uſum transferimus. *Ut enim olim Hebræi* (ait Auguſtinus lib. 2. de *Doctrina Chriſt.* & lib. 7. *Confeſſ.* cap. 9. num. 4. & 5.) ea,

Auguſt.

Humaniores literæ obſequuntur veræ ſapientiæ.

ea, quæ ſibi uſui fore iudicaſſent, rapuerunt, relictis illis, quæ aut moleſta, aut inutilia, aut profana exiſtimaſſent; ita nos oportet ſua quidem vitia Ethnicis relinquere, ſuperſtitiones, libidines, cupiditates. At ſiquod ſapientiæ aurum, ſiquod eloquentiæ argentum, ſiqua bonarum literarum ſupellex penes illos erit, eam omnem convaſare, & in noſtros uſus accommodare debemus, nihil furti calumniam veriti.

Ancillæ vel ebriæ ſunt. Hieron. Theod. Nazianz. Ghiſler. Lorin. Cauſin. Anton. à Matre-Dei. *Si ancillantur, & modicè ſervantur in ſacrâ lectione.* Senec. Cauſin. Baſil. *Iudicium de Literis hieroglyphicis Ægyptiorum.* Kircher.

4 Sapientia humana alienigena eſt. Si captiva occurrit, haud domi detinenda, niſi deponat veſtem, radat cæſariem, & ungues circuncidat: ut dicitur *Deuteron.* 21. v. 12. & 13. Vide Hieronymum *Epiſt.* 146. Theodoret. lib. 1. de *Curand. Græc. affect.* Nazianz. 1. in *Iulianum Apoſtat.* Ghiſler. in *Cantic.* cap. 6. v. 1. Lorin. in *Act. Apoſt.* cap. 17. v. 28. Cauſin. *Parabol. Hiſtor.* lib. 2. ſymb. 76. & denique Anton. a Matre-Dei in *Prælud. Iſagog. tract.* de *Notitia, & uſu eruditionis profan.* Mel, & lac habet filia Pharaönis ſub lingua (non in lingua, quod proprium literarum & eruditionis ſacræ) operæ ergo erit, ut dulcedinem occultam hauriamus, eo temperamento quo liber in ore mel dulce, haud torqueat amaritudine viſcera: quandoquidem ſæpeſæpius imbuta ſunt volumina, & melle, & felle. Bibemus namque ridendo venenum, ni ſeparemus pretioſum à vili. Audi iudicium vel à Senec. *Epiſt.* 88. *Tandiù enim iſtis immorandum eſt, quandiù nihil animus agere maius poteſt. Rudimenta ſunt noſtra, non opera.* Ludicra ſunt ſi tantùm tendunt ad voluptatem aurium, & faſcinationem oculorum. Victæ iaceant Sirenes à Muſis, ut harum coronæ conficiantur ex evulſis pennis: igitur *Literæ ſacræ ex humanioribus ſpolia capiunt*, ait Cauſin. ubi ſupr. *& iiſdem plerunque venuſtantur.* Non novum, quòd ſapiens bibat aquam ſcientiæ de maxilla aſini. Iudic. 15. v. 19. *Adoleſcentes his manſuetioribus literis* (inquit Baſilius Orat. de *Utilit. ex Græcor. ſcriptis capienda*) *reliquis ſtudiis vegetum quendam florem induunt, & pulcbritudinem.* Fabularum corticibus magna myſteria odoratur Athanaſius Kircherius in *Obeliſc. Pamphil.* lib. 3. de *Myſtagogia Ægyptiac.* cap. 3. *Varij variè de Ægyptijs Dijs* (ideſt, de imaginibus, ſed hieroglyphicis) *loquuntur, eorumque geſta diverſimodè, alij quidem ad literam* (ex qua ſtolidæ plebis, utpote opicæ Minervæ, idololatria inſipienti perſuaſione fuit inducta) *alij ad mores, alij & ad naturam, nonnulli etiam ad ineffabilia Dei myſteria trahentes, interpretantur.*

Lapſus hominis reparandus. Heſiod.

5 Quapropter lapſus primi hominis, & naturæ totius per fœminam (reparandus tamen cùm Divinum Verbum ſubiret hominem, quippe bonorum omnium unicè Spes inter mala, ſola domi manſit, volitantibus undique noxis, ut canit Heſiodus ubi ſupr.

———Spes ſola remanſit,
Intùs, & è labris ima ſub parte reſedit.)

Subtiliter lucet obumbratus in Pandoræ fabula. Eva quippe omnibus dotibus gratiæ, & naturæ dignata (de qua Alcimus Avitus lib. 2. de *Origen. Mund.* v. 149.

Eva pulcherrima. Alc. Av.

O felix, mundique decus pulcherrima virgo,
Ornat quam roſeo præfulgens forma pudore,
Tu generi ventura parens, te maximus orbis
Expectat matrem, tu prima, & certa voluptas,
Solamenque viri, ſine qua nec vivere poſſit.)

Scire intendit, quid boni intùs haberet interdictum pomum; & malè ſuada à ſerpente (cui

Idem.

Plus doluit periſſe ſibi, quòd poſſidet alter)
Annuit inſidijs, & pomum morſa momordit.
Dulce ſubit virus.
———Et noxia fœmina victu
Circumuenta perit, & circumſcripta fefellit.
(*O quoties ori admotum compuncta retraxit,*
Audacisque mali titubans ſub pectore dextra
Ceſſit, & effectum ſceleris tremefacta refugit!)

Dracont. Alc. Av.

Sapore verè mali confeſtim nefas ſenſit: verùm ut canit Marius Victor lib. 1. *Geneſ.* verſ. 410.

Mar. Vict.

————Credula poſtquàm
Rupit ſacrilegis perſcriptum morſibus Eva
Experti iam docta mali.

Audivit in pœnam tranſgreſsionis: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.*

Auguſt.

6 Inconcuſſum utique, vel in ſtatu innocentiæ fœminam ſubditam fore viro. *Neque enim, & ante peccatum aliter fuiſſe decet credere*: ait Auguſtinus lib. 11. de *Geneſ. ad liter.*

liter. cap. 27. ſed erat ſervitus dilectionis, non conditionis. Modò damnatur ut ſerva quæ foret, & erat ſocia, de quo infrà latè. Dominium igitur poteſt accipi, & in proprium dominantis commodum, & in ultro rectorum emolumentum. Primum dicitur ſervile, ſecundum verò civile. Illud eſt potentiæ, ſeu potius tyrannidis, & involuntarium; hoc dignitatis, & excellentiæ, obedientibus iucundum. Homines illo adhuc in ſtatu inæquales eſſent, tum quoad ſcientiam, tùm quoad iuſtitiam, ut aſſerit D. Thom. 1. part. quæſt. 90. *artic.* 3. Qua de re *art.* ſeq. ait: *Si unus homo habuiſſet ſuper alium ſupereminentiam ſcientiæ, & iuſtitiæ, inconveniens fuiſſet, niſi hoc exequeretur in utilitatem aliorum, ſecundum quod dicitur* 1. *Petri* 4. *unuſquiſque gratiam, quàm accepit, in alterutrum illam adminiſtrantes. Unde Auguſtinus dicit* 9. *de Civit. Dei cap.* 14. *Quod iuſti non dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbiâ, ſed providendi miſericordiâ. Hoc naturalis ordo præſcribit, ita Deus hominem condidit.* Audimus crebrò celeberrimam gnomem, *Sapientem eſſe naturâ Regem*: nam ut inquit Ariſtoteles lib. 1. *Rhetor.* cap. 11. *Sapere principatus eſt.* Ex quo patet, dominium hominis in hominem in ſtatu originalis iuſtitiæ, & eius qualitas, & auctoritas; nimirùm, in ſubditis obedientia civilis, non ſervilis; voluntaria, non violenta; & poteſtas in commodum directorum, & neutiquàm in utilitatem dominantium.

Vel in ſtatu innocentiæ homines hominibus dominarentur. D. Thom. Auguſt. *Sapere principatus eſt.* Ariſtot. *Conditio huius poteſtatis.*

7 Patet etiam, quàm barbarum fœminas ſuper viros agere poteſtatem: quarum tragicum aulæum, vel ſcenicum ſiparium aperiunt quam multi Hiſtorici, & Politici. Vide Iuſtum Lipſium in *Monit. & exemp. Polit.* lib. 2. cap. 2. Ioan. ChoKier. in *Theſaur. Polit.* lib. 5. cap. 12. Igitur *Non tam ius, quàm uſurpatio dicenda*, aſtruit Rupertus hic. Potiùs homines in amorem, quàm in obedientiam fœminarum imperium allicit: indecorumque vel ipſi naturæ imperaturos ſubijci. Appoſitiùs dicam: etiam ipſas imperantes fortunæ pœnitet, & auctoritatis piget; ita ut quivis vel homunculus dicere poſsit, quod Philemoni Menander: *Quæſo te, bonâ veniâ, dic mihi, cùm me vincis, non erubeſcis?* Homines ſubdito officiorum fomite, fœminarum ita obſequuntur vanitati, ut quæque procax cum laſciva Cleöpatra declamare audet:

Iuſt. Lip. Cho Kier. *Auctoritas fœminæ uſurpatio eſt.* Rupert. *Indigni erubeſcere debent auctoritatis.*

Exul in æternum, ſceptris depulſa paternis,
Si tua reſtituat veteri me dextera fato,
Complector regina pedes. Tu gentibus æquum
Sidus adeſt noſtris. Non urbes prima tenebo
Fœmina Niliacas. Nullo diſcrimine ſexus
Reginam ſcit ferre Pharos.

Lucan.

Apud Lucan. *Bell. Pharſal.* lib. 10. v. 87. Cornelius Tacitus de Britannis in *Agricol.* cap. 16. ait: *Neque enim ſexum in imperijs diſcernunt.* Eò crevit earum inſania, & inverecundia, ut in arenam deſcenderint, & publicè depugnaverint, adeoque & cum beſtijs, ait Lipſius *Saturnal. Sermonum* lib. 2. cap. 4. & Tacitus *Annal.* lib. 15. Ultrà progreſſa eſt harum beſtiarum frons perfricta, à qua pudor procul: nudæ etenim cum viris in paleſtra certabant. Circumſcriptæ cancellis verecundiæ, impudentiſsimè

Apud Nationes aliquas penes fœminas regnũ. Exercebantur ad pugnam. Virgil.

————Finibus omnes
Haud mora proſiluere ſuis.

Dicam cum Virgil. *Æneid.* lib. 5. v. 140. *Quid verò in ipſis maximè ridiculum cernis? Nonne illud videlicet ſi nudas mulieres conſpecturus ſis in paleſtra cum viris certantes, non modò iuvenes, ſed vetulas quoque?* Hæc Plato *Dialog.* 5. de *Republic.* Idem Euripides in *Androm.* Conſule La-Zerd. in 1. *Æneid.* v. 324. num. 7. Lactant. Firm. lib. 1. de *Falſa Relig.* cap. 30. & Bullenger. de *Theatr.* lib. 1. cap. 50. Ovid. Epiſt. 15. v. 147. Schild. in *Domitian.* Sueton. cap. 4. f. 778. ubi plura.

Et nudæ; Plato.

Hic Philoſophus, qui ridiculum, & meritò, appellat huiuſmodi amphitheatrum, ibidem docet, Mulieribus cum viris communem eſſe debere Reipublicæ adminiſtrationem. Quem ibi ſic taxat Ioannes Serranus: *Prima inſania hominis delirantis.* (ecce qui divinus plauditur) *Neque enim ipſum Platonem loqui exiſtimes, ex ſuis principijs agentem, ſed delirantem; ſicut ſobrijs alioqui viris uſuvenit, dum morbo aliquo acuto tenentur, & fervore febris perturbatur mentis acies.*

Munera Reipub. viris, & fœminis promiſcua. Ioã. Serran. Senec. Hippoc. *Nulla mulier ambidextra.*

8 Aptiùs obſervavit Hipocrates *lib.* 7. *Aphoriſm.* 43. dicens: *Mulier non fit ambidextra.* Virorum plerique, & conſtat ex Sacra Pagina *Iudic.* 20. v. 16. mulier verò utpotè imbecillis, nulla amphidexia adhuc viſa eſt. Providè ergo natura exercitium inhabili denegavit. Quid ergo indicat? Homines ambi-dextri; ſiquidem, & politicæ, & œconomicæ aptum ingenium, fœminæ verò unum eſt neceſſarium. *Sicut vir publicis officijs, ita mulier miniſterijs domeſticis*: ait Ambroſius de *Paradiſ.* cap. 11. Illis mulier inepta, his con-

Ambroſ.

ditio hominis habilis, ſed materia non apta, quia viro indigna. Excluduntur dignè tamen fœminæ ab omnibus civilibus munijs obeundis, ut dicit Cicero *Orat.* pro Muræna. Vide Ulpian. *cap.* 3. *§.* 3. de *Muner.* Petrum Pechium de *Teſt. coniug.* lib. 3. cap. 28. Paulum à Caſtro *cap.* 12. *§.* 2. de *Iudic.* Decium in leg. *Fœmin.* ff. de *Regul. iur.* & Petrum Andream Canonherium in *Comm. Politic. Aphoriſm. Hipp.* ubi ſupr. Unde Bartholus leg. 1. & leg. *Imperialis*, pluribuſque in locis docet, honores competere fœminis, ſed ſine adminiſtratione.

Fœminæ ex cluſæ à mu nere publico

9 A natura timidæ magis ſunt, quàm timendæ. Omnia in illis levia, & mollia. Raro itaque altum, aut honeſtum concipiunt. Omnis ſolicitudo de mundo muliebri. Torquere ſine iniuria in illas poſſumus illud Senecæ de *Brevitat. vitæ* cap. 12. *De ſingulis capillis in conſilium itur: malunt turbari Rempublicam, quàm comam.* Et Terentius in *Heautontim*, Act. 4. Scen. 1. v. 29.

Senec.

Terent.

Neque ius, neque bonum, aut æquum ſciunt,
Melius, peius, proſit, obſit; nihil vident, niſi quod lubet:

Ad illas ſpectant non civilia, ſed muliebria. Itaque Homerus *Iliad.* 6. ſignat officia, dicens:

Officia fœminæ.

Homer.

Sed in domum vadens, tua ipſius opera cura,
Telamque, columque, & ancillis iube,
Opus percurrere.

Dum civilia, & publica gerunt, aptè in arrogantiam illarum cadit, quod Claudianus in *Eutropium* lib. 1. v. 271.

Claud.

——— *Quid te turpiſsime bellis*
Inſeris? Aut ſævis pertentas Pallada campis?
Tu potes alterus ſtudijs hærere Minervæ,
Tu telas, non tela pati, tu ſtamina noſſe.

Bellè Iuſtus Lipſius *Centur.* 3. *Epiſt.* ad Belgas 26. de Matre Baltaſaris Mureti ita ſcribit: *Matrona fuit, bonis probiſque moribus, ſine fuco, aut pompà, viri olim amans, domus ſuæ, & œconomiæ intelligens, & curans: & ſatis hæc in fœmina. Plures laudes qui quærit, vitia fortaſsè congeret in ſpecie virtutum. Mulier quæ ultrà mulierem ſapit, non ſapit.* Vide Senec. in *Hyppol.* Act. 2. à v. 613. uſque ad 616. Hinc Reginæ Amaluſinthæ Epitaphium: *Caſta vixit, lanam fecit, domum ſervavit.* Ex Caſiod. lib. 1. *Var.*

Mulier quæ ultrà mulierem ſapit, deſipit.

Iuſt. Lip.

Caſsiod.

10 Forma fœminas decet, haud literæ: & plerumque vanitatem illarum, & vacuum cerebrum elogia inania, & hominum blanda fovent. Vix domeſtica negotia curant, & ad nova caſtra fumis feruntur. Corrugatis naribus audiunt, ſed vera dicenda. Matrici nobiles quædam fœminæ, quæ ſtamina ducere oderant, ingenio, ſicut conditione leves, clavem ſcientiæ ſibi arrogantes, quippe pro captu ſuo limina grammatices oppetiverant, ſed reverà nec limina noverant, dicaculæ, falsà eruditionis opinione tumidæ.

(Quæ nova corrupit noſtros dementia mores?

Dicam cum Claudiano 1. in *Rufin.* O bene Deus!) ſummis laudibus ſuas ad invicem efferebant bibliothecas. Audivit fanaticas alia Patricia, & dotibus animi, & inſtrumentis nobilioribus prædita, quæ ludens dixit: *Habeo etiam veſtris bibliothecham inſigniorem.* Qualem, filia, interrogantibus; dextrè reſpondit: *Artem coquinæ: hæc noſtra officia, & ſtudia, non verba: ſed doctas habere manus, & ducere penſa.* Inter alia vota Valerij Martial. lib. 1. *Epigram.* 90. ſtatuit:

Fœminæ apophthegma de ſtudijs fœminæ.

Mart.

——— *Sit non doctiſsima coniux.*

Intolerabilius nihil eſt, quàm fœmina dives, veràm doctiſsimam ſtultè habere coniugem, amplioris eſt moleſtiæ; quàm ducere divitem.

Fœmina non ſit docta.

Non habeat matrona, tibi quæ iuncta recubit,
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato?
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes,
Sed quædam ex libris, & non intelligat. Odi
Hanc ego quæ repetit volvitque Palemonis artem
Servata ſemper lege, & ratione loquendi,
Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus,
Nec curanda viris opicæ caſtigat amicæ
Verba, ſolecismum liceat feciſſe marito.

Iuvenal.

11 Hæc, & alia vera ait Iuvenalis totà *Satyr.* 6. Vide Iſaacum Grangæum, Domitium Calderinum, & Bertrandum Autumnum hic. Unde Muretus ex Euripide in *Hippolyto.*

Odi eruditam, nec meæ unquàm ſit domi
Quæ plus ſciat, quàm mulierem ſcire expedit.
Nam quæ eruditis ipſam maiorem Cypris
Aſtutiam indit.

Euripid.

Fœmina literis non ſit docta, ſed ſtolida.

Iccircò *Sarai* uxoris Abrahæ admititur litera, & vocatur *Sara*: Abrahæ apponitur, & vocatur *Abraham.* Geneſ. 17. v. 5. & 15. In viris plures literæ rutilant, in mulieribus verò ſilentia; quippequàm illarum argutiæ ineptiæ. Phidias olim finxint Venerem calcantem teſtudinem, quo *ſignificabatur mulieris eſſe munus ſervare domum, & ſilentium*: teſtatur Plutarchus in *Præceptis conub.* cum Horat. lib. 3. *Carm.* Od. 7. v. 29.

Geneſ.

Non argutiæ, ſed ineptiæ verba illarum.

Plutarch.

Horat.

12 Mulieris forma non ex forma, ſed ex fama. Illis ampla ſatis forma, pudicitia. Videris fusè Alciatum *Emblem.* 195. Valerium Maximum lib. 6. cap. de *Severitat.* Adrianum Innium, Ioann. Sambucum, & Claudium Minoën; qui in additione ad Andr. Alciati *Emblem.* 195. aſſerit, Ægyptijs fœminis interdictum calceorum uſum extra domum; ut timore ſentium, vel ſcrupulorum minimè vagarentur, & errarent extra. Omnia officia complectitur Auſonius in *Parental.* 16. de *Veria Liceria.*

Fœminæ forma fama.

Claud. Min.

Cuius ſi probitas, ſi forma, & fama, fideſque
Morigeræ uxoris, lanificæque manus.

Auſon.

Lex ergo lata eſt à Numa, uti in eius vita refert Plutarchus, nequa mulier, niſi coram marito, loqui auderet. Taceat ergo mulier. *Non emim permittitur eis loqui* (dicit Apoſtolus 1. *Cor.* 14. v. 34. & 1. *Tim.* 2. v. 12. *ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.* Quænam igitur lex? Decretum Dei, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Ideo pro iſthac periodo Haye hic legit. *Tacebis.* Semel docuit utens auctoritate uſurpatà, & evertit omnia. Quæ neſcit docere, diſcat & in ſilentio. Haud fatuas commendamus, ſufficit obedientia pro doctrina: nec ita ſtolida fœmina, quæ virum non intelligat; nec ita doctrix: ut virum dirigat.

Plutarch.

Silentium fœminæ cōgruit.

Haye.

13 Malè fœminæ audiunt, nec perperàm. Ab omnibus ferè Auctoribus proſcinduntur. Gregaria mulierum collubies procax eſt, ferox, in dominos etiam imperioſa, vana, lubrica, varia, mutabilis, quoad cupidinis incitabula, proiecta, indomitæ libidinis, & lubidinis. Quo circa Cato in *Conſilijs ad filium*, inquit: *Si abſque fœminis poſſet eſſe mundus, converſatio noſtra non eſſet abſque Dijs.* Iuxta mentem Secundi Philoſophi (cuius ſententiæ cauſam referunt Maximus Martir, Laziardus in *Vit. Adriani*, & Nicol. Nancelius in *Analog. Micr. ad Marc.* lib. 8. cap. 7.) *Fœmina eſt hominis confuſio, inſaturabilis beſtia, continua ſolicitudo, indeſinens pugna, quotidianum damnum, incontinentis naufragium, pernicioſum prælium, at humanum mancipium.* Quæ ut canit Iuvenalis Muſa, dives & docta, *Satyr.* 6. verſ. 222. & 454. Mantuanus, & Horat. de *Art.* verſ. 159.

Sententia Catonis de fœminis.

Secundi Philoſophi.

Hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas,
Imperat ergo viro.
Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nihil.
Fœmineum ſervile genus, crudele, ſuperbum,
Vult, non vult, ſecumque ſibi contraria pugnat.
——— *Geſtit paribus colludere, & iram*
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Iuvenal.

Mantuan.

Horat.

14 Mare non eſt mare, ſed mulier mare accerrimum, varium, ac mutabile ſemper. Fœminam maris inſtar, profert Horatius lib. 1. *Carm.* Od. 5. verſ. 10. Hinc illud tritum:

Fœminæ mare acerrimum.

Pluma quid levius? Pulvis. Quid pulvere? Ventus.
Quid vento? Mulier. Quid muliere? Nihil.

Mulier bona rara avis in terra, nigroque ſimillima cycno. Leg. *Eccle.* cap. 7. v. 29. ubi nec ulla invenitur: & *Eccli.* cap. 25. Lucillius etiam, & ex illo Petronius:

Mulier bona rara avis.

Haud facul eſt homini inventu fœmina bona.
Fœmina nulla bona eſt, vel ſi bona contigit ulli.
Neſcio quo fato res mala facta bona eſt.

Lucil.

Pet. Arb.

15 Cuilibet enim uxor, Aſina Ocni: quidquid funes torquendo, lucri obtinet, uxor prodiga ligurit. Vide fabulam apud Propertium *lib.* 4. *Eleg.* 3. Pauſan. in *Phocic.* Eraſm. in *Adag.* Plin. *lib.* 25. *cap.* 11. Pierium Valer. *lib.* 12. *cap.* 17. Politian. *Miſcell.* cap. 81. & Alciat. *Emblem.* 91. Mythologiam, & ad unguem apud Iuvenal. ubi ſupr. *verſ.* 361. Proin à Seneca in *Hippolyt. Act* 2. v. 557. dicit, nec ſine iniuria Pauli næ ſuæ.

Qualis Ocni aſina?

———*Dux malorum fœmina, & ſcelerum artifex.*

Senec.
Et de *Conſtat. ſapientis* cap. 14. *Impudens animal eſt, & niſi ſcientia acceſsit,* ideſt diſci-
Fœmina, impudens animal.
plina) *ac multa eruditio, ferum, cupiditatum incontinens.* Homerus itaque *Illiad.* 3.

Nil gravius, nil improbrius, quàm fœmina vivit.

Homer.
Quid peius muliere, atque audacius? Lege Plautum in *Milit. Glor.* Act. 2. Scen. 2. v. 34.
& ſeqq. Inimica enim eſt hominis: & haud ægriùs ferretur, niſi malum eſſet neceſſarium.
Quas non excitant tragœdias? Quæ non iurgia? Cùm autem mulier à viro emerſerit, &
animal placidum, mite, blandum, manſuetum, molle, imberbe, cuteque glabrâ; & lævore
Læv. Lem.
perpolitâ, mirari ſubit (inquit Lævinus Lemnius de *Miracul. Natur.* lib. 4. cap. 13.) unde
Mentem nō habet.
illi tanta rixandi libido, affectuſque tam enormes, & effrænati? Plato reſpondet: *Vix homi-*
Plat.
nes dici poſſunt, mentem non habent.

16 Omnibus, & ſingulis inſania, ſed non eadem, ut viri non ſtudeant effugio, ſed
patientiæ. Hinc Horat. *lib.* 2. *Satyr.* 3. v. 50.

Horat.
Illa *ſiniſtrorsùm*, hæc *dextrorsùm abit, unus utrique*
Error, ſed varijs illudit partibus.

Iudicium Chryſoſtomi de conditione fœminarum.
Præ cunctis Chryſoſtomus, igitur Serm. in *Decollat. Baptiſtæ* infit: *Amicitiæ inimica eſt,*
ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, dome-
ſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta. O malum ſum-
mum, & acutiſsimum diaboli telum mulier! O malum omni malo peius, mulier mala! Sive
illa pauper ſit, ſive dives, ſi facultates habet, coöperatrices ſunt malitiæ ſuæ. O malum
intolerabile, vipera irremediabilis, venenum inſanabile, mulier mala! Si iniuriam patitur,
inſanit: ſi honorem accipit, extollitur: ſi potentis uxor ſit, non ceſſat nocte, ac die callidis
ſtimulare ſermonibus: blanditur nequiter, & quod vult importunè, rapit violenter. Si pau-
Alap.
perem habeat virum, ipſum ad iracundiam, & rixas incitare non deſinit. Si vidua ſit,
Eraſm. &
omnes paſsim deſpicit, & ad omnem audaciam ſuperbiæ inflatur. Ecce definitio mulieris,
Lycoſth.
ſed diminuta. Adeo mala pecus fœmina: perinde Prothagoras (apud Eraſmum, & Ly-
Fœmina nihil deterius.
coſthenem in *Apophthegm.*) interrogatus, cur filiam inimico conceſsiſſet uxorem? Faxò
reſpondit: *Nihil ei dare poteram deterius.*

17 Hæc nullo modo prætermiſi, ſed meditanter præmiſi, ut ſimul cum auctoritatis
Tautologiæ præiactæ expoſitione, clareſcat teſtimonium de appetitu ſenſitivo: quippe
eiſdem terminis ſubijcitur viro fœmina, ac appetitus rationi. Illi in pœnam dicitur: *Sub*
viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Caino verò, ut abſtineat à noxa: *Sub te erit*
Gen. 4. 7.
appetitus eius, & tu dominaveris illius. Mulier nomine appetitus in Scriptura ſignatur,
vocaturque caro. Ioann. 1. v. 13. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque*
Ioann.
ex voluntate viri. Ly *Carnis*, ideſt mulieris: ſic Geneſ. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex oſsibus*
Fœmina vocatur caro, ſeu carnalis concupiſcentia & contrà.
meis, & caro ex carne: uti aſtruunt Auguſt. & Theophylactus hìc. Proinde viciſsim pars ir-
rationalis ſymbolum habet in fœmina: proponitur itaque concupiſcentia *Apocal.* 17. quaſi
fœmina ornata, ſuper beſtiam ſeptem capitum ſedens (& quòd iurè miraberis) ſymbolum
etiam Ethnicorum cogitatio fuit. Vide Pier. Valer. lib. 4. *cap.* 22. & Senec. *Epiſt.* 93. ubi
Senec.
adducit illud Scyllæ apud Virgil. *lib.* 3. *Æneid.* v. 426.

Virgil.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtix:
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Succinit etiam Horat. de *Art.* v. 1.

Humano capite cervicem pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas;
Horat.
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè.

18 Eam ob cauſam *Mythologi* (inquit Claudius Minos in *Emblem.* 44. Alciat.) *Pan-*
Claud. Min.
doram ad humanum corpus referunt, fœmineo nomine expreſſum. Quod clarè deprompſit In-
Interl.
terl. Gloſſa hìc, ubi, *Sub viri poteſtate eris,* &c. *Ut ſpiritus dominetur carni.* Videbimus
etiam infrà *num.* 22. 46. 47. De fœmina, & appetitu dicitur verè: *Nec tecum, nec ſine te.*
Aul. Gel.
Utrumque igitur eſt malum neceſſarium. Metellus (apud Aulum Gellium *lib.* 1. *cap.* 6.
Delr.
& Martin. Delr. in *Hyppolyt.* ac *Syntagm.* 3. *Comment.* ibid.) dixit pro Roſtris: *Si ſine uxo-*
Nec cum illis, nec ſine illis vivi poteſt.
re poſſemus (Quirites) eſſe, omnes eà moleſtià careremus: ſed quoniam ita natura tradidit,
ut nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis ullo modo vivi poſsit; ſaluti perpetuæ potiuſquàm
brevi voluptati conſulendum. Paulus de corpore peccati, ideſt de concupiſcentij rebellibus
Rom.
per, & poſt peccatum originale, ita quæritur ad Rom. 7. v. 24. *Infelix ego homo: Quis me*
libe-

liberabit de corpore mortis huius? Omnes errant queruli: Paulus de corpore carnis, uxora-
ti de mulieribus. Quanvis ratio compeſcat motus, inſtar appetitus: ſiquidem non quod
honeſtum ſequitur concupiſcentia, ſed tantùm delectabilia: & ſicut ratione appetitus in-
ordinati coërcentur, ita mulier a viro, licèt carpatur.

19 Affectus erant in poteſtate hominis fruentibus gratia originali, & quò ad excita- *Quomodò affectus humani erant in hominis poteſtate, fruentis originali iuſtitia?*
men, & quò ad durationem, etiamque quò ad remiſsionem, vel intenſionem. Non enim
excitabantur niſi quando, quandiù, & quomodò volebat, iuxtà præſcriptum, & pruden-
tiam rationis ex imperio conſtantis voluntatis. Modò affectus pravi (pravi dicuntur, quia
ad prava tendunt) ſunt ſicut membra paralytici, quæ quidem non moventur ad imperium
voluntatis, quando, quomodo, & quantum vult. Quocirca Ariſtoteles lib. 1. *Ethicor.* ait:
In anima eſſe aliquid præter rationem exiſtimandum eſt, quod ei adverſetur, & reſiſtat; Ariſtotel.
quod tamen etiam ipſum rationis capax eſſe poteſt, velut eſſe cernimus in viro continenti, at-
que etiam magis in temperanti, & forti, in quibus eiuſmodi affectus rationi conſentientes, &
obedientes ſunt. Iugum enim dominationis fregerunt, illico ut ratio deſcivit à Deo. Hinc
iterùm redigere in rationis poteſtatem, hoc opus, & labor. Ideo militat omnis homo, quia
habet ſua caſtra cupido: & caſtigatur corpus, ac in ſervitutem debitam iurè compellitur, ut
obediat rationis regimini, eſtò rumpatur.

20 Liquet igitur qualis eſſet ſervitus mulieris in ſtatu innocentiæ, & cur ipſa ſervitus
modò ſit pœna peccati. Sub poteſtate viri eſſet, non ſerviliter, ſed civiliter; non coactè; *Obedientia in ſtatu innocentiæ, fœminę iucunda.*
ſed ſponte; non moleſtè, ſed iucundè: ſiquidem animo integra, & mente recta, nihil
præter rationem optaret, & illam haud aliud, vel aliter iuberet Adamus; cùm imperium
eſſet plenum æquitatis, & intimæ, ac extimæ dilectionis. Modò eſt ancilla, quæ futura ſo-
cia, ut dixi *num.* 6. Semper adverſatur imperio mariti, & ad illius vocem recalcitrat, ſi
libito non indulgeat: tabeſcit, carpitur, rumpitur: cæterùm ſub poteſtate erit, & vir do- *Cur modò pœna?*
minabitur cunctis, licèt fœminæ nares plenæ ſint bilis. Viro auſcultabis, quia priùs vi-
rum non auſcultati. Servies, non ut priùs obvijs manibus, & perlibenter; ſed ſicut ancilla,
renitente Minervâ, præter gratiam tuam: & quod tibi ſæpe obveniet, iuxta viri conditio-
nem duram, inflatam ſuperbiam, & in pluribus inſaniam: quæ ita patientiam tuam exerce-
bunt, addictam etiam prolubio dominantis; ut quia non vis, velit: quia tibi placet, & placitū
diſplicebit. Sub illo eris, velis, nolis: ille dominabitur, etſi pungaris.

21 Calvinus damnatæ memoriæ Auctor, ſtuprator Scripturæ, in commonitione (ſine Gen. 4. 7
commotione, imò motione) Caino à Domino facta, nimirùm: *Nonne ſi benè egeris, reci-*
pies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus eius, &
tu dominaberis illius: ly *Eius*, ut aſtruat homines ad bonum non liberos, & ad malum ne-
ceſsitatos; non vult intelligere de peccato, cuius eſt appetitus, ſed de Abele, in quem bilis
commota: q.d. Noli indignari fratri, uti primogenituram, & auctoritatem proripienti:
quippequàm ſi benè egeris, ſub te erit appetitus eius; ideſt, voluntas eius, & tu domina-
beris illius. O virum literatum! Præclarum vacui ſincipitis ratiocinium! Nec refutatione di- *Mala mens Calvini taxatur.*
gna craſſa ignorantia: ſi deſideratur, videſis Leonardum Marium hìc *num.* 22.) nec ha-
bet, ut ſomniat cogitatus hyperaſpiſten Chryſoſtomum Homil. 18. *in Geneſ.* ſiquidem Chryſoſt.
ibidem Sanctus Doctor infit: *Cain potuit dominari ſuæ concupiſcentiæ.* Perperàm utique ad
Abelem referetur pronomen; ſed rectè ad concupiſcentiam, ſeu peccati appetitum, cui
quibat præeſſe ſuarum dominus actionum.

22 Liberum hic exprimitur arbitrium, ſive facultas libertatis; quoniam affectus pra- *In homini poteſtate eſt prava compeſcere vel concupiſcere*
vi latrare, ſolicitare, & allicere poſſunt, cæterùm mordere, tenere, & illicere, niſi volen-
tem, non poſſunt. Licèt ſentias, non conſentias: non enim cogendo, ſed ſuadendo no-
cent: non extorquent conſenſum, ſed efflagitant. Quare in tua poteſtate eſt, vel *Com-*
peſcere, vel *Concupiſcere*: ait Alcuinus hìc. Quocircà Oleaſter pro *Dominaberis illius,*
vertit: *Et ad te deſiderium eius, ſed tu ſi vis, dominaberis illius.* Si dominatur, in tua vo-
luntate eſt: haud aliâ causâ ſervus principatur, niſi quia vis. Beſtiæ ſunt, & iacent omnes
ſub imperio rationis. Auli Baſilium. *Omnis beſtiæ imperium habes. Quid igitur dicis,* Baſil.
Ego beſtias, ac feras in meipſo habeo? Sanè innumeras, & multam ferarum turbam in te-
ipſo habes: ne contumeliam putaveris eſſe, quòd dico; parva beſtiola eſt ira: cùm latrat in
corde, nonne omni cane ferocior exiſtit? In doloſa verò anima latitans dolus, nonne omni
urſà in latebris deliteſcentē immitior eſt? Non eſt beſtia ſimulatio? Velox ad contumelias, & *Affectus pravi, ut beſtiæ, ſubſunt homini.*
iniurias non eſt ſcorpius? Qui verò clam ad vindictam concitatur, non eſt vipera ſævior?
Avarus non eſt lupus rapax? Mulierum amor in nobis furens, non eſt equus inſanienſ? Tranſ-
poſuit ſeipſum ad naturam brutorum per affectionem, cui aſsimilatus eſt. Multa igitur
beſtia

beſtiæ in nobis ſunt : factus tamen es princeps beſtiarum : princeps itaque creatus eſt , princeps affectuum , princeps beſtiarum , princeps reptilium , princeps volatilium. Imperium datum nobis in animalia , dirigit nos ad hoc , ut nobiſipſis imperemus. Hactenùs Baſilius Magnus Homil. 10. in *Hexaëm.* Vide quæ diximus *Tautolog.* 5. *num.* 25. ad illud Pauli. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram* : nempè affectus inordinatos concupiſcibilis & iraſcibilis. Ita enim dicere poterimus: *Regnabimus* (ſuper corpara ſcilicèt) *ſuper terram*

Apocal.

Apoc. 5. v. 10. tunc enim regnamus , cùm illi obediunt : & coäctos habere , maximè cum gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum , in noſtra eſt poteſtate. Quare Arabicus ſic legit : *In electione tua appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Si electio eſt, ergo & liberum arbitrium : *Sub te eſt inimicus tuus:* (dicit Bernardus Serm. 5. in *Quadrag.*) *poteſt inimicus tuus excitare tentationis motum , ſed in te eſt , ſi volueris dare , ſeu negare conſenſum. In tua facultate eſt , ſi volueris inimicum tuum facere ſervum tuum.* Concupiſcentia ſterilis ſignum eſt fortitudinis: at ſi in impetu expugnationum conceperit ex conſenſu, parit peccatum.

Arabic. Bernard. *Concupiſcentia ſterilis ſignum eſt fœcundæ virtutis.*

23 Haud prætermittere poſſum inſignem affectuum rebellium deſcriptionem , quæ habetur *Apoc.* 9 à v. 2. uſque ad 13. Ubi è puteo abyſsi cum rege , cui nomen *Exterminans*, dicitur exiſſe locuſtas loricatas , quarum ſuper capita erat tanquàm coronæ, facies hominum , capilli ſicut capilli mulierum , dentes ſicut leonum , caudæ ſimiles ſcorpionum : & datum eſt illis ne occiderent homines , ſed ut cruciarent. Hæc eſt pugna carnis & ſpiritus, ubi inimici hominis domeſtici eius : cæterùm non timenda ſubijcibilis poteſtas , niſi dum appetitus habent coronas. Miſerum nimis eſt, ut de homine utpotè libero, dici queat, quia venundatus in malum, & gratis, quod in *Verrem* Cicero Orat. 6. *Neque tàm ſervi illi dominorum, quàm tu libidinum.*

Apocal. *Symbolum affectuum pravorum.* Cicer.

24 Servitutem ergo fœminæ , & dominium viri Alcimus Avitus intellexit de actu coniugali , quatenùs ly *Sub* patientiam ſtupri in fœmina indicet , & *Ille dominabitur* viri audaciam in patratione denotet. Sic enim lib. 3. de *Sentent. Dei* v. 145. canit:

Alc. Avit.

Imperium patiere tori , dominumque timebis,
Quem dederam ſocium : cuius tu ſubdita iuſsis
Pareto, & libitus poſt hæc aſſueſce viriles.

Cyprian.

Pro qua etiam cogitatione ſtare videtur Cyprianus tract. de *Habitu Virgin.* ſed perperàm: ibi quippe Martyr , & Doctor inclytus nulla præfatæ Geneſeos auctoritate facta , increpat audacem impudentiam , & libertatem convenientium ad nuptias , *Verbis* , *quorum* (ſubdit) *libidinum fomes accenditur , Sponſa ad patientiam ſtupri , ad audaciam Sponſus animatur.* Quæ anſa , quæſo, in verbis eſt , ut poteſtas viri , & ſervitus fœminæ ſtent in audacia, & patientia? Intelligentia prorsùs pinguis Minervæ, & lectio obſcœna in cathedra pudicitiæ. Fœmina enim ſubdita viro eſt , etiam non coniugata, ut latè videbimus num. 49. & 50.

Dei ſingulare donum, eſſe virum. An fœminæ in ſtatu originalis iuſtitiæ, virgines, & conciperent , & parerent?

25 Sanè viri imperium tori , quod inter pœnas fœminæ ſignat Avitus , haud minor inter ærumnas : unde apud Iudæos ut obſervat Alapid. in *Eccli.* 14. & Novar. *Schediaſm.* lib. 1. cap. 23. virorum mos fuit , quotidiè dicere manè : *Benedictus Dominus , qui me virum, & Iudæum fecit.* Et quidam Noctericus : *Vir gratias Deo debet agere , quòd virum fecit ; fœmina , quod eam fecit , quod voluit.* Ex huiuſmodi ergo labore conceptus , & partus , in quibus mulctata fœmina , ut patet hìc v. 16. & ex Aviti expoſitione , oritur quæſtio ; nimirùm : *An in ſtatu originalis iuſtitiæ fœminæ , virginis integritate carnis conciperent, imò parerent ?* Demùmque, *In quo* (iſthoc ſuppoſito) *privilegium luceret prærogativæ Virginis Matris Mariæ?* Quia ſingularis diſquiſitio, & quia amplius micabit ſpinther Virginis ſingularis ; operæpretium duxi , nodos extricare quæſtionis.

Auguſt. *Virginitas formalis quid ſit?*

26 Virginitas ergo dividitur in materialem , & formalem. Hæc (iuxta Auguſtinum lib. de *Sancta Virginit.* cap. 13. ex quo D. Thom. pluribus in locis) *eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Meditatio* nempè, *perpetuæ incorruptionis*, quoad habitum , vel propoſitum rationis, ſervandi integritatem carnis propter Deum, quod quidem eſt formale , & virtutis completivum , ut ait Auguſtinus ubi ſupr. cap. 8. & 11. & D. Thom. 2. 2. quæſt. 152. art. 1. & 2. Reliqua igitur de materiali ſe habent ad eſſe virtutis : verùm de hac nihil modò loquimur. Materialis autem definitur , per hoc quod ſit *Integritas carnis.* Perinde Ambroſius lib. 1. de *Virginib.* ait: *Caſtitas virginalis eſt expers contagionis integritas* : quæ quidem iuxtà D. Thom. ubi dudùm art. 1. *Conſiſtit in ſignaculo virginalis pudoris.* Quoniam de huiuſmodi integritate ſermo ; præſtat dicere cum Auguſtino lib. 14. de *Civ. Dei* cap. 26. *De rebus loquimur nunc pudendis: tamen neceſſe eſt, ut noſtra diſputatio ma-*

Quid materialis? Ambroſ. D. Thom. Auguſt.

Alap.

magis frænetur ea, q̃ nos revocat verecūdia, quā eloquētia. Núc ergo argumēto. Et in 1. *Cor.* 7. 34

27 Cornelius Alapide in *Geneſ.* 2. v. 24. de ſtatu illo fœminarum loquens, infit: *Virginitas tunc non fuiſſet.* Si intelligit virginitatem formalem, apud omnes inconcuſſum: quippe ſi Adam non peccaſſet , virginitas nullam perfectionem addidiſſet. Undè virginitas tunc ſervata non fuiſſet, nec ei tunc deberetur aureola, ut dicit Angel. Magiſt. in 4. d. 49. q. 5. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. ex quo Abulenſis in *Matth.* 13. q. 19. & Suarez de *oper. ſex dier.* lib. 5. cap. 1. & 2. Quapropter ipſe Cornelius ibid. vel concedet, vel implicabit terminis; ita enim ſubdit: *Virginitas tunc non fuiſſet, quia nec virtus eſſet.* Eò quòd virtus non eſſet, diſtortè admodùm arguitur abſolutè non eſſe, imò contrarium, tanquàm virtutis (ſi eſſet) materia, ſeu ſuppoſitum. Ni exponamus, Alapide dicere velle, virginitatem tunc non fuiſſe, & licet fuiſſet, virtus tunc non poterat eſſe, propter decretum de propagatione, vel quia ſine labore contradictionis, nitor omninò evaneſcit virtutis.

In ſtatu iuſtitiæ originalis virginitas non eſſet virtus.

28 De materiali igitur virginitate dubium eſt, ſeu de ſignaculo pudoris , quod à Medicis dicitur flos, ſigillum, clauſtrum virginis, integritatis argumentum, ſeu Virginal, in quo conſiſtit integritas carnis, aut virginitas corporis. Quo circa D. Auguſtinus lib. 14. de *Civ. Dei* cap. 26. Quem ſequitur D. Th. 1. p. q. 98. art. 2. ad 4. aſtruit: *Tunc potuiſſe utero coniugis, ſalva integritate fœminei genitalis, virile ſemen immitti* (plures habet impugnatores ſpectabilis auctoritas, quàm elementa. O Bonè Deus, quanta patitur & erudiens ſervus Chriſti!) *ſicut nunc poteſt eadem integritate ſalvâ, ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti.* Ecce Achilles. Hinc iuxta ſenſum huius Eccleſiæ Phœnicis , tunc coitum potuiſſe peragi ſine ulla integritatis carnis corruptione, in qua integritate ſtat virginitas materialis, ſeu illibatio clauſtri pudoris. D. Th. in 2. Scripto in 2. Sent. d. 20. art. 1. ad 2. explanans mentem Auguſtini, ſtatuit: tunc fuiſſe concubitum abſque defectiva corruptione, ſeu vituperabili. Subinde exponam Angelic. Præceptorem: ſiquidem iam ſignat corruptionem, etſi nec defectivam, nec vituperabilem.

Auguſt. *Sine ulla integritatis carnis corruptione, tunc concepèrent.* D. Th.

29 Nova minimè diſputatio tùm inter Expoſitores ad cap. 22. *Deuter.* v. 15. cùm inter Medicos, & Anatomicos, *An in fœminis virginibus ſit hymen, necne ?* In quo ſit, & quid? nihil ad Nos. Videſis fusè apud Nicol. Nancel. lib. 7. *Analog. Micr.* Probl. 5. Sever. Pinæum tot. lib. 1. de *Notis Virginit.* Petr. Andr. Canonher. in 1. *Aphoriſm. lib.* 1. *Hippocrat.* fol. 411. & Melchior. Sebicium ſpecial. opuſc. de *Virginit. notis.* Plures igitur, (quibus ſuffragor) aſſerunt, numquàm in virginibus aliquod virginitatis corporeum fuiſſe ſignaculum pro integritatis argumento , ſeu incorruptionis à natura teſtimonio. Sunt enim virgines, quæ intactæ, & quarum illæſa caſtitas, & à viro, & ab agente extrinſeco quolibet alio; uti dicemus *Tom.* 2. *Tautolog.* 6. in *Expoſit. lit.* ad illud Geneſ. 24. 16. *Virgo, & incognita viro.* Attamen *virgines, quæ virgines ſunt, peculiarem aliquam partem, qua ſint deſtitutæ mulieres non habent*: Ita Augenius tom. 2. *Epiſt. & Conſult. Medic.* lib. 1. cap. 4. Quapropter Hymen , phantaſticum quid eſſe , arbitrantur Paulus Zachias lib. 4. tit. 4. q. 1. Oribaſius lib. 24. *Collect.* cap. 32. Fernelius lib. 1. *Phyſiolog.* cap. 7. Columbus lib. 11. cap. 16. Ludovicus Vaſſæus in *Tabul. Anatom.* Valleſ. de *Sacr. Philoſoph.* cap. 25. & Mercado lib. 1. de *Part.* part. 4. Claſſ. 4. q. 124.

Nullū in fœminis ſignacu[lum], in virginitatis teſtimonium.

Hinc ſanguinis effuſio, de qua loc. cit. *Deuter.* & dolor ex primo congreſſu oriuntur ex anguſtia cervicis uteri, labiorum vulvæ, vel ex attritu, aut diſiunctione partium , quæ in virginibus, naturali ſymphyſi (ideſt, coäleſcentià) arctæ ſunt, & per non uſum excreſcunt. Patet in uberibus tumentibus indecorè ſine faſciæ pectoralis , & zonæ lege : & etiam in dentibus (quod quidem difficilius, quia oſſei) ni mutuò terantur ; ſicuti ſæpe videtur, in quibus mandibula inferior ex nativis acetabulis excidit. Iccircò illud ſpolium virginitatis, toties à Profanis decantatum (ut

Quid virginitatis ſpolium?

Catullus de *Berem. com.* — *De virgineis geſſerat exuvijs*
Metam. fab. 11. — *Qui raptæ præmia noſtræ virginitatis habes.*
Et Epiſt. 21. v. 103. — *Nil de te mecum eſt niſi tantum iniuria pectè,*
Ad monuit quòd tupignus amantis habes.

Catull.

Ovidius in *Heroid. Epiſt.* Oenones, & Virgilius lib. 4. *Æneid.* verſ. 28. ex perſona Didus:

Me fide conſpicuus Troiæ munitor amavit,
Ille meæ , ſpolium virginitatis habet
Ille meos, primus qui me ſibi iunxit amores
Abſtulit , ille habeat ſecum , ſervetque ſepulchro.)

Ovid. Virgil. *Amor fœminarum in virum primum quaſi indelebilis.*

Nil aliud eſt , niſi amor primi viri , qui libavit puellares amplexus , & virginei pudoris florem primus abſtulit (cuius ſingularis nonnumquàm amor apud fœminas , ut obſervat Ariſtoteles in *Probl.*) qui quidem dicitur *Dux virginitatis* , Ierem. 3. 4. *Vir pubertatis* (Hebr. *Pudoris* , vel *Virginis*) Proverb. 2. 17. & Ioel. 1. 8. Quapropter fœmina dicitur iurè virgo , quia intacta , & illibata ; haudquaquàm quia habeat aliquod ſpeciale ſignaculum , in car-

Ierem. Proverb. Ioel.

Qua fœmina virgo?

carnis incorruptionis, aut integritatis teſtimonium: quo liquet vera ſententia, igitur ſi modò ſignaculum nullum eſt, quod cuſtodia virginis; tunc in ſtatu iuſtitiæ non eſſet (quippe ex naturalibus nihil amiſit) in commendationem integritatis carnis.

Quotuplex integritatis corruptio?

Bonav.

30 Ad illud Auguſtini, ex eo quòd illo feliciſsimo ſtatu nec macula, nec corruptio eſſet (quippe humana natura omninò integra,& nulla dignitate privanda,uti aſſerunt DD. Scholaſtici cum Magiſtro, & D.Thom.in 2.*diſt.*20.) reſpondet Bonaventura ibid. q.4. ex quo etiam Durandus q.2.& in 4.*diſt.*44.q.6.*Intelligendum eſt*(inquit Doctor Seraphicus)*quòd integritatis corruptio tria dicit: ſcilicet clauſtrorum muliebrium apertionem, pœnalem paſsionem, & fœdam delectationem; quorum primum eſt naturæ,alterum pœnæ,tertium verò eſt corruptionis vitioſæ,quæ medium tenet inter culpam,& pœnam. Si ergo vir cognoviſſet uxorem in tempore inſtitutæ naturæ,fuiſſet ibi clauſtrorum apertio,non tamen ibi fuiſſet pœnalis paſsio,nec fœda delectatio;quia vis generativa nec eſſet tunc corrupta,nec infecta,imò obedirent rationi illa membra, ut dicit Auguſtinus,ſicut obediunt os,manus,& lingua.Unde ſicut manus,& os aperitur,& clauditur,nec eſt paſsio,vel pœna,nec delectatio fœda; ſic fuiſſet tunc circa iſta membra.* Hæc ille doctiſsimè. Dracont. *de oper. ſex dier.* fuſe à v.227.& Suarius in 3.p.D.Thom.q.38.art.4.Diſp. 6.ſect.2.inquit: Futurum in ſtatu innocentiæ, ut abſque læſione clauſtri virginalis mulieres ex vir ſè conciperent.

Virgo poteſt concipere, Virgines integritate carnis conciperent, & parerēt fœminæ in ſtatu innocentiæ.

August.

31 Ego autem, ſi fas inter Doctores, os niſi tremulè aperire, pro Auguſtini mente aliter cogitarem. Haud arbitror, ſicut quidam ludicre(ut effugiant difficultatis nodum reſecando, non ſolvendo)tunc in conceptione ſemen,& in partu fœtum penetratum iri per vulvam, ſalva ſemper integritate carnis,vel per poros corporis poſſe intromitti,ut Durandus,neſcio quo genio,cogitavit loc.cit. nec ſemen ire defluxum ad vulvam in concubitu, ſicut è vulva defluunt menſtrua;licet ſalva integritate carnis poſsit concipere virgo,uti opinantur D.Thom. *Quodl.* 6. q.10. Suar. & Abulenſ. ubi ſup. Medicorumque plures, videndi apud Paul.Zachiam *lib.*4. *tract* 4.q.1.n.28. Aſtruo ergo,illo in ſtatu fœminam ita permanſuram poſt concubitum,& partum,quaſi nullum habuiſſet,& eſt modò virgo commendabili carnis integritate:quod nulla fœmina hoc in ſtatu poteſt habere; igitur omnibus in Eva poſt lapſum dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas,& conceptus tuos,in dolore paries.* Geneſ.3.16.*Ærumnas tuas,& conceptus tuos, &c.*per Hendiadym,ideſt: *Ærumnas conceptuum tuorum,& partus.*Unde ſicut oſſa pectinis,& ilium tunc ultrò ſine dolore, in partum naturali impulſu fœminæ relaxarentur; ita ſinus pudoris aperiretur ad ſuſcipiendum ſemen; *Quia in tanta felicitate rerum, & felicitate hominis ſine ardoris illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate animi, & corporis nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Neque enim quia experientia probari non poteſt, ideo credendum non eſt; quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, ſed ſpontanea poteſtas.* Hæc Auguſtinus ibid. Si ad voluntatis nutum inerat fœminæ poteſtas, & eo voluntatis imperio quo cætera membra, moverentur & illa; aperta ſpontaneè, etiam ſpontaneè iungerentur: aliàs non eſſent ad nutum voluntatis. Si priùs erant cum integritate carnis, ita eſſent poſt concubitum, & poſt partum, reſpicientia voluntatis imperium. Quo claret perſpicuè concluſio Auguſtini: nimirùm, *Tunc potuiſſe utero coniugis, ſalva integritate carnis, virile ſemen immitti.*

Cauſa.

Rab.Sim

Exemplū.

Huiuſmodi conditio ſtatus (ubi ſine dolore naturæ munia, & modò cum graviſsima pœna) exprimitur à Rab. Simeon apud Pinæum lib. 2. de *Notis Virginit.* cap. 7. in cornibus cervorum, quæ ſummo dolore reſecantur, & ſpontè decidunt, & denuò ſine dolore renaſcuntur. Haud aliter in ſumma felicitate fœminis accidiſſet. Igitur oſſa pectinis (quæ ante partus tempus, ictu non diſiunget ſecuris validè impacta, ut obſervat Ludov. Vives in cap. cit. Auguſtini de *Civit. Dei*, & modò, eſtò cum ingenti dolore, natura diſiungit) tunc ſine cruciatu diſiungerentur, & coniungerentur pro voluntatis nutu.

Auguſt.

32 Confirmat ibid. Auguſtinus, cuius exemplum, quia ab illis non captum, aliquos miſit præcipites in ineptias. *Tunc potuiſſe* (ait) *utero coniugis ſalva integritate fœminei genitalis virile ſemen immitti, ſicut nunc poteſt eadem integritate ſalvà, ex utero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti.* Ideſt, ſicut non obſtant modò huiuſmodi fluxus, ut in fœminis ſit integritas carnis; ita tunc in carnis integritatem non obſtaret coitus, imò nec partus: quippequàm cùm membra illa tunc moverentur, diſiungerentur, & coniungerentur, præut vellet fœmina; poſt tot officia, quoad carnis integritatem eſſet fœmina ſicut modò puella intacta. Quod quidem illius ſtatus erat felicitas, & qua poſt lapſum privata fœmina: igitur integritate carnis ſemel libata, nequit inſtaurari ultra.

Ovid.

——— *Nulla reparabilis arte*
Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel.

Uti

Integritas carnis poteſt miraculosè inſtaurari.

Uti canit Ovid.ubi ſupr.Nequit inſtaurari,niſi miraculosè,ut aſtruūnt Petrus Damianus *Epiſt.*4.cap.3. & D. Thom. 2. 2. quæſt. 153. art. 3. ad 3. Si in virginum clauſtro eſſet hymen,qui pudoris ſignaculum,& concederet Auguſtinus; haud facile foret, ſalvam vel in coitu aſtruere carnis integritatem, neç ruptam non fuiſſe illo in munere corruptam. Aliud eſt enim ſigillum(quod aliqui vocant membraneum annulum) quaſi notam intacti pudoris; & aliud integritas carnis.Primum phantaſticum eſt, vel in puellis nuper natis, ut aſſerunt Medici n.29. cit. Secundum,conſtitutivum virginis,manente*Sicut è materno egreſſa eſt utero*:inquit Damianus ibid.Hinc iuxta Auguſtinum in ſtatu innocentiæ eſſet integritas carnis,non tamen aliquod ſignaculum pudoris, quod munere maritali poſſet corrumpi,vel non corrumpi.

Damian.

Perer.

33 Nec mireris cum Doctiſ. Pererio lib. 4. de *Creat. hom.* quæſt. 4. num. 233. dicente de Sententia Auguſtini: *Admirationem habet maiorem, quàm fidem.* Unde num. 235.ilicèt obijcit,quod Nos etiam de partu concedimus,& minimè negat Suarez ubi ſupra cap. 1. num. 12. ex ſuppoſitione integritatis carnis in, & poſt concubitum. Expromam verba Pererij,ut ſententia clareſcat Auguſtini. *Admirationem habet maiorem,quàm fidem. Niſi quis adeo excors,& amens ſit,ut quod in Beatiſsima Virgine eximium,& ſingulare fuit miraculum, ut clauſo utero filium ſuum ederet, id omnibus fœminis eo ſtatu uſitatum futurum fuiſſe,opinetur.*Quieſcat bilis,deſpumetur ira.Minimè abrogamus Virgini virginum prærogativam ſingularem.

Sedul.

——— *Quæ ventre beato*
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem,
Sola ſine exemplo.

Quodnam diſcrimen partus Deiparæ, & fœminarum in ſtatu originalis gratiæ?

Uti cecinit Sedulius lib.2.v.67.Peperit Maria primogenitum ſuum, facta penetratione partium ad partes, de quo Nos late *Tom.* 2. *Tautolog.* 2. Ex gloria enim animæ Chriſti naſcentis,reſultavit dos ſubtilitatis ad eum ſolum effectum,ut corpus compoſsibile eſſet in eodem loco,cum matris virgineo clauſtro,poſſetque puer per illud non infractum, & plenè intemeratum exire in mundum.Quod totum negamus de fœminis adhuc in illa felicitatis cōditione;igitur apertà vulvà parerent,licèt redirent ad integritatem carnis,quaſi nunquàm peperiſſent.Hoc ergo aſtruit Auguſtinus,& non ampliùs;eò quòd membra illa propter gratuitum conditioni donum, ſicut manus, & os obedirent nutui fœminarum. Quo proclivè intelliges illud Ezechielis 44.2. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur.* De quo Nos ſuo loco *Tom.*2. *Tautolog.* 6. Porta clauſa ante, in, & poſt partum, quod non paciſcerentur fœminæ,ut diximus:etenim aperirentur clauſtra pudoris, eſtò poſteà pro libito reſtitueretur integritas carnis.

Adhuc in articulo parturitionis, eſſet tunc integritas carnis.

Ergo poſtea(dices)redirent in integritatem carnis.Ergo pro tempore coitus,vel partus integritas carnis non erat in fœminis.Perperum conſequens.Uſus illarum partium eſt apertio,& clauſura,ſicut manus,oculorum,& oris; in quibus, his muneribus haud amittitur integritas carnis,ut obſervavit Bonaventura ubi ſupr. num. 30. Non eſſent (ſicut non ſunt oculi,os,& manus clauſa,& extenſa)in eadem figura propter urgentiam muneris;verùm eſſent in eadem connaturali integritate carnis. Quamnam non haberent integritatem?Dicam, & promptè.

Sed nō integritas puritatis, vel puritas integritatis.

34 Sicut eſt corruptio,eſt & integritas;igitur integritas evaneſcit per corruptionem. Eſt enim *Integritas carnis*,in qua conſiſtit virginitas materialis,& qua florerent fœminæ in ſtatu originalis iuſtitiæ,de qua loquitur Auguſtinus.Eſt etiam *Integritas puritatis*,quæ dicitur à pluribus,*Flos intacti pudoris*:de qua ibi nec verbum eſt apud Auguſtinum.Eva igitur,& reliquæ fœminæ tūc nullo modo poterant habere corruptionem integritatis carnis;ſed minimè in concubitu,& deinde,quibant habere integritatem puritatis.Abſolutè enim purum non habet miſtum;tuncque permiſceretur diverſa caro(ut fieret una)viri ſcilicèt,& fœminæ. Unde facta in utero ſeminum commiſtione, Eva non eſſet in ea puritate,qua condita,nec reliquæ,qua natæ.In Maria flos non decidit virginitatis.Semper porta clauſa,& non aperta,cum integritate puritatis florida:in fœminis tunc eſſet cum integritate carnis,puritatis corruptio;tametſi *Non defectiva,nec vituperabilis*, ut dicit Div. Thom.ubi ſupr. num. 28. & pro quo puritatis flore conceſſa fœcunditas: quin conciperent,& parerent eſtò virgines, ſicut concepit, & peperit Virgo Maria; quippequàm hæc illibata etiā integritate puritatis;& illæ tantùm pro ſtatu,carnis incorruptione,ſeu clauſtri virginalis integritate.Hæc ſubitò cogitavimus pro Auguſtino.

In Maria fuit & integritas carnis, & integritas puritatis.

35 Ex quo micat iam cauſa in obvia Deiparæ epitheta digniſsima.Plauditur enim à